

stringit; sic enim superius dicit de abbate: *Omnia, quae discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda*. Nam si ille alios docet, non loqui vana aut scurrilitates aut risum moventia, et ipse illa loquitur, tunc non indicat contraria discipulis in suis factis non agenda. Et hoc notandum est, quia tres intentiones esse dixit in hoc capitulo: primam, ut etiam illi fratres spiritales, qui praedicant, debent aliquando silentium habere propter locutionem; secundum, ut, necessaria, cum requirunt, loquantur, sed quantum expedit; tertiam, ut verba vana loqui nullus debeat aut scurrilitates.

Cap. VII.

DE HUMILITATE.

*Clamat nobis scriptum divina, fratres, dicens: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur*. Tunc, omni clamat scriptum, quando mentem admonet. Dicit autem Basilius: *Clamare enim dicitur propter eos, quorum intetior surdus et obduratus est auditus, sicut in evangelio legitur: Jesus autem clamabat*. Quid est, quod scriptum dicit: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se, humiliat, exaltabitur*, cum multi humiles tam in seculo, quam in sancta ecclesia non efficiuntur exaltati, eo quod ante egrediuntur de praesenti seculo, quam fiant sublimati? V. gr. sunt multi in sancta ecclesia humiles, qui non elliciuntur episcopi aut presbyteri et reliqu., ut teneant regimen vel locum superiorem sanctae ecclesiae. Et similiter in seculo sunt multi pauperes, qui non efficiuntur divites, sed ante egrediuntur de praesenti vita. Et iterum sunt multi humiles propter Dominum in sancta ecclesia et fiunt inde episcopi, diaconi et tenentes regimen sanctae ecclesiae; et iterum videntur multi pauperes in saeculo, qui aut per parentes, aut per artem aliquam aut per ingenium efficiuntur divites et exaltati. Quamvis istorum pars in praesenti saeculo sit exaltata, tamen haec sententia ad futurum iudicium tendit, in quo omnes humiles propter Dominum exaltabuntur et omnes superbi humiliabuntur.